Articuli

.i. In primis notandum de ipsius rei geste recordatione, ut quoties eliciantur ex hoc. Item quia ex hiis colligi
potest in primis quod quamquam papa videatur voluisse quod archiepiscopus consequeretur possessionem, hoc tamen non voluit sic
.ii. sed per suos nuntios. Item quia per assecutionem possessionis adiunctus est dominus Bavaro, et in feudo recepit
.iii. Regalia, et alia sibi fecit sacramenta. Hic autem maior punctus et difficultas. Item dato ipsum in nullo
excessisse negligentiam tamen et contemptum sibi imputabunt, quia dudum non misit nuntios solempnes.
.iiii. Item postquam intravit possessionem non curavit solvere servitium camere saltem in aliquo.

Item ut ad hoc aptius veniatur pro responsione istorum queratur a Johanne de Bybrg in primis quid dixit in curia de introitu
domini et cui, et quid responsum sibi fuit et per quem.
Item quia dominus estimat non aliud movere papam et cardinalem contra eum, nisi quod credunt dominum se obligasse
iuramento contra sedem apostolicam exponatur sibi quod papa directe estimavit hoc esse contra se. Apostolicam quod feuda
recepit a domino Ludovico, et sibi iuramenta fecit, cum ecclesia reputet eum capitalissimum inimicum.
Item queratur de amicis domini in curia, qui, et quolibet sint, et quali amicitia sibi eos iunxit et quare eis credat.
Item exquiratur quid super hiis dominus et consilium suum cogitaverit, et qualiter sibi videatur respondere ad predictos
singulos obiectus. Item quis loquetur factum, si forsan papa mandaret proponi in consistorio. Item
curia Romana cautissima, et in omni astutia experta, forsan dicet ambassiatoribus domini an aliqua procuratoria
habeant ad faciendum mandata ecclesie Romane, etiam que sibi videntur possibilia, scilicet quod saltem, et si contra Bavarum
non facere velit quod Bavarum in aliquo non iuvet. Item quod contra regem Francie non faciat et similia
que multum occurrent. Item an cogitatum sit, quid super hiis respondere possit. Item an aliqua littera
sint concepte, quas deferent nuntii. Item an solum erunt littere credentie, an aliquid aliud debeant
continere. Item quod sciens se propter premissa excommunicatum divinis se ingerit mandans missas coram se dici.
Item et sciens totam suam terram interdictam ex hiis causis permittit divina celebrari